



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Vitæ emendationem non differendam: D. Augustini Admonitio. xi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

pus sit. Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum suam: & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis: & ianitori praecepit, ut vigilet. *Vigilate ergo: nescitis enim quando Dominus domus veniat: serò an media nocte, an gallicantu, an manè: ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate.*

Nihil refert, quòd Dominicus sermo de supremo mundi die loqui videatur. Nam cuique supremus dies, supremus mundi dies est. sicut D. August. dicit: In quo quemque inuenit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies. Quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.

Augustinus
Epist. 80.

1. Thef. 5.

S. Paulus. *De temporibus autem & momentis fratres, non indigetis ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint, pax & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.*

2. Pet. 3.
1a. 4.

S. Petrus. *Adueniet dies Domini ut fur.*

S. Iacobus. *Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino. Quae est enim vita nostra? Vapor est, ad modicum parès, & deinceps exterminabitur.*

Iac. 5.

Ecce iudex ante ianuam assistit.

Vitæ emendationem non esse differendam.

D. August. Admonitio.

CAP. XI.
De salutari-
bus Docu-
mentis.
cap. 39.

NE de misericordia Domini tantum securi existamus, aut peccata peccatis angeamus: neque dicamus,

mus, donec vigeat aetas, nostra carnis concupiscentias exerceamus: & postremo in senectute malorum nostrum poenitentiam agamus: Pius est enim Deus, & misericors. &c. Talia ne cogitemus: cum nesciamus, qua die morituri sumus. Nemo enim hominum scit diem exitus sui. Non omnes in senectute moriuntur, sed in diuersis aetatibus de hoc mundo migrant. Et in quibus aetatibus unusquisque homo inuentus fuerit, in eisdem indicabitur. Ideo festinemus ad poenitentiam conuerti. Semper ante oculos nostros versetur ultimus dies: & cum diluculo surrexerimus, ne ad vesperam confidamus nos peruenire. Et cum in lectulo membra disposuerimus, de lucis non confidamus aduentu: sic & facillime poterimus corpus nostrum a vitis & concupiscentiis refranare.

Quid, cum in omni vita, tum vero morte ingruente, faciendum, ad dictum Esaia, Dispone domui tuae, quia morieris tu, & non viues, Esaia 38.

IN diebus illis, agrotauit Ezechias vsque ad mortem. CAPVT. XII.
 Item: & introiit ad eum Esaias propheta, & dixit ei, Matt. 27.
 Haec dicit Dominus: Dispone domui tuae, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum, &c. Hanc nos quoque Esaias sententiam quotidie nobis ipsis, siue egrotemus, siue bene valeamus, occinere debemus: nescimus enim diem neque horam. Nihil autem homini vtilius, siue agrotato, siue sano, quam mortem impendentem diligenter considerare, & ad eam se bene preparare. Nemo igitur sit, cui non in cordis auribus ingiter sonet: **DISPONE DOMUI TVAE.** &c. Est autem triplex domus disponenda.

Prima est: Domus terrestris & mundana. Etenim, cum in omni vita, tum maxime morte iam vicina, com-
I.
 D 3 ponenda